

sed cumulum potius omnium perfectionum, qui divina infinitate continetur.

Respondeo. *Neg. assumptum.* Ad probationem *dist. mai.* Et hoc communi conceptu exhibetur essentia Dei physice spectata, *conc.*; exhibetur constitutum quasi metaphysicum divinae essentiae, *neg.*

Nominalibus et Scotistis arrisit opinio quae essentiam divinam in attributo infinitatis reponit. Id autem triplici modo explicatum est. Primo ita ut infinitas accipiatur pro cumulo omnium perfectionum, quo sensu, ut ante diximus [432], perinde accipitur ac cum Deum fatemur *absolute perfectum*. Iam vero id exhibet quidem essentiam divinam physice spectatam, non vero si metaphysice consideretur, ut patet ex argumentis quae attulimus. Secundo accipitur divina infinitas sensu maxime proprio et formali quem num. cit. declaravimus et Scotus appellat infinitatem *intensiveam*. Sed neque in hoc reponi potest essentia Dei, metaphysice spectata, ob eandem rationem. Talis quippe infinitas seu perfectionis immensitas non concipitur ut primum quod reliquorum sit principium, sed potius tanquam modus qui essentiam consequitur. Tertio denique solent nonnulli hanc sententiam tueri dicendo, radicalem a se intelligi infinitatem, i. e. proprietatem divinae naturae ratione cuius oportet, ea sit absolute et infinite perfecta. Sed nemo est quin videat, hac una responsione rem non declarari. Explicandum quippe remanet quae sit haec proprietatis seu radix. Nos vero dicimus cum S. Thoma, eam optime exprimi per hoc quod Deus dicatur ipsum Esse per se subsistens. *Deus est ipsum esse per se subsistens; ex quo oportet quod totam perfectionem essendi in se continet. . . . Cum igitur esse divinum non sit esse receptum in aliquo, sed ipse sit suum esse subsistens, ut supra ostensum est, manifestum est quod ipse Deus sit infinitus.* (*Summa th. 1. p. q. 4. a. 2., q. 7. a. 1.*)

Obiectio II. — Inter gradus quos in rebus distinguimus, supremum est vita intellectualis. Atqui essentia Dei metaphysica exhibere debet supremum gradum, in quo res ei assimilantur, addito eo quo ab eis discernitur.

Ergo essentia Dei metaphysica explicari potius debet per vitam intellectualem prout haec est ei propria, dicendo ex. gr. eum esse *intellectionem subsistentem*.

Respondeo. *Dist. mai.* Si de rebus creatis est sermo, *conc.*; si absolute loquimur, *neg. Contradist. minore, neg. conseq.*

Sedulo distinguere oportet *esse participatum* ut sic, et *esse absolute* spectatum. Si primo modo consideretur, exhibet infimum gradum realitatis qui rebus convenit: non importat enim ceteros aliores gradus, puta vitae, sensus, intelligentiae, sed seipsam dumtaxat. Hoc modo mineralia dicuntur esse tantum, plantae esse, et vivere, bruta esse, vivere, et sentire, homo denique esse, vivere, sentire, et intelligere. Quod si alio modo spectetur, absolute nimirum, alius quiddam concipitur: sic enim a sui formali ratione nullam essendi nobilitatem praecedit, atque adeo non potest per se subsistere nisi intelligere et alia quaevis bona complectatur. Hinc divina natura longe excellentiori ratione exhibetur dicendo eam *ipsum esse*, quam *ipsum intelligere per se subsistens*. Apposite rursus Angelicus. "Quia enim divina comprehendi a nobis non possunt, convenientius a nobis significantur per nomina communia quae indefinite aliquid significant, quam per nomina specialia quae definite rei species exprimunt: unde hoc nomen *Qui est*, quod secundum Damascenum significat substantiae pelagus infinitum, convenientissimum nomen dicitur esse, ut patet Exod. III. (Qq. Disp. Pot. q. 10. a. 1. ad 9.) Et alibi. "Esse simpliciter acceptum, secundum quod includit in se omnem perfectionem essendi, praeminet vitae et omnibus perfectionibus subsequentibus. Sic igitur ipsum *Esse* praehabet in se omnia bona subsequentia, et hoc modo Dionysius loquitur De div. nom. c. 5. Sed si consideretur ipsum esse, prout participatur in hac re vel illa, quae non capiunt totam perfectionem essendi, sed habent esse imperfectum, sicut est esse cuiuslibet creaturae, sic manifestum est, quod ipsum esse cum perfectione superaddita est eminentius. (Summa th. 1. 2^{ae} q. 2. a. 5. ad 2.) Ex quo illud facile intelligitur,

attributa quibus perfectionem determinati ordinis Deo attribuimus, puta cum dicimus eum esse vitam, sapientiam etc., minime significare gradum quandam perfectiorem ipso *Esse subsistente*, sed exprimere potius perfectionem determinati ordinis lanquam in radice comprehensam in ipso esse subsistente, ulpote cui debetur sine ulla mensura perfectio cuiusque ordinis.

Obiectio III. — Ratio expressa per hoc quod Deus dicitur *ipsum Esse*, convenit ipsis divinis proprietatibus. Atqui constitutum metaphysicum debet essentiam distinguere etiam a proprietatibus. Ergo minus recte eiusmodi constitutum assignatur.

Respondeo. *Dist. mai.* Quatenus haec ratio non debeat esse de formali intellectu proprietatum, *neg.*; quatenus haec proprietates debeant *expresse* exhibere quod *implicite* dumtaxat continetur in ea notione, *conc. Contra-dist. minore, neg. conseq.*

Solutio patet ex his quae praemissa sunt. Diximus enim [457], proprietates se habere ad essentiam in Deo, sicut unum, verum, et bonum dicuntur esse passiones seu proprietates entis in communi. Sicut igitur ratio entis est de formali conceptu unitatis, veritatis, et bonitatis: ita constitutum quasi metaphysicum divinae naturae est de formali conceptu proprietatum quarumcumque divinarum; quemadmodum ex entitate, prout huiusmodi, inferimus quasi a priori entitatem unam, veram, et bonam; ita ex eo quod Deus sit ipsum esse per essentiam, quasi a priori etiam colligimus, eum per essentiam esse infinitum, esse aeternum, esse immensum, et ita porro. Quocirca non est necesse recurrere ad explicationem a nonnullis adhibitam, qui constitutum metaphysicum, quo Deus dicitur ipsum *Esse*, sic declarant, quod Deus non sit ab alio, neque ut a causa producente, ut creaturae, neque ut a principio Deo interno, ut divinae Personae, neque per virtutalem quasi emanationem, secundum nostrum intelligendi modum, ut divinae proprietates. Non enim opus est in re, eeteroquin plana, his tricis implicari, quae eam potius videntur obscurare. Cum itaque Deum dicimus ipsum *Esse*,

et in eo collocamus constitutum quasi metaphysicum naturae divinae, id unum intelligimus cum S. Thoma, *esse scilicet irreceputum seu per se subsistens*, quibus dicendi formulis Angelicus excludit tum dependentiam a causa efficiente, tum distinctionem quaecumque etiam virtutalem inter essentiam et esse divinum.

SECTIO VIII.

Refutatio pantheismi.

460. **Argumentum.** — Pro coronide eorum quae huc usque de natura divina disputavimus, adicienda nunc est brevis expositio ac refutatio putidissimi erroris qui sub *pantheismi* nomine hac nostra aetate celebratur ac multorum mentes miserime deturpat. Quamquam vero huius delirii absurditas totidem demonstrationibus clarescat, quot in hac et praecedente Disputatione adhibuimus ad existentiam Dei eiusque attributa comprobanda, expedit tamen speciale hunc tractatum habere, quo praesertim pateat, quantum ab omni ratione aberret commentum quod nonnulli nunc temporis minime verentur quasi philosophiae culmen incautae inventuti proponere.

461. **Summa huius erroris.** — Huius porro doctrinae virus, ut ipsum nomen *pantheismi*, vel etiam *monismi*, significat, eo tandem redit, ut res omnes mundanae cum Deo identificentur in una eademque numero substantia seu realitate, pro eo quantum vel ex ea ut partes ex toto deciduntur, vel eam quasi totidem ipsius modificationes seu phaenomena determinent. Hinc tres numerantur generales formae quibus haec doctrina exhiberi solet. Prima vocatur *pantheismus emanasticus*, sive etiam *emanationis transientis*: quo nimirum, corrupto genuino creationis conceptu, res ex substantia divina, facta divisione vel diffusionem, seu partes ex toto vel radii ex luce derivari dicuntur. Altera

vocatur pantheismus *immanens* in eo consistens, ut Deus a ceteris non distinguatur nisi ut res a suis modificatio- nibus in quas immanente sua activitate se se explicat et prodit. Tertia denique forma pantheismus appellatur *idealis* a praecedenti nihil differens, nisi quod immanentem substantiae divinae evolutionem phaenomenicam dumtaxat ponit seu idealem, transcendentalem scilicet idealis- mum pantheismo consocians, ac obiectum cogitatum cum cogitante mire confundens. Patet autem, in hac et praecedente forma, non minus quam in priori, nullum dari locum creationi: immo, si quis attente consideret, ex nego- to vel adulterato creationis conceptu totum pantheismi delirium primo enatum est. Haec etiam est ratio quam- obrem error istiusmodi, tametsi adeo abnormis, ab anti- quissimis retro temporibus tam late mentes plurium occupaverit. Naturalis enim ratio factum creationis evidenter quidem demonstrare potest, ut suo loco patebit, propria tamen notio actionis creativae est ab experientia remo- tissima [*Pr. Ph.* 622, 627]. Nihil mirum proinde si non pauci soli experientiae plus aequo fidentes ipsum factum creationis, vere et proprie eiusmodi, inficiale fuerint; ex quo deinde primum erat inferre, nihil existere a Deo in substantia diversum, quae est summa huius erroris.

462. **Praecipui veteres et recentiores pantheistae.** Exposita doctrina, ut modo diximus, pervetusta est, et alicubi systema nedum philosophicum sed religiosum etiam constituit. Praecipui eius fautores hic recensentur.

I. **Pantheismus Indicus.** — Primo itaque hunc erro- rem continet religio Brahmanica, late penes Indos diffusa, cuius monumenta primo scripto complexus est saeculo XIV ante Christum Vijasa quatuor libris quos Vedas appellant. Huius Vedanticae philosophiae summa in eo est, ut unicum Esse agnoscat, unica substantia *Brahm*, et quidquid *Brahm* non est, tamquam illusoria apparentia reiici debeat. Variis imaginibus explicatur mundi ortus ex placitis huius doctrinae. Modo enim *Brahm* assimilatur araneae sempiternae quae telam rerum quas videmus, e sinu suo continuo educit et vicissim in se reducit; modo dicitur esse instar

ignis cuius splendores sunt res quas percipimus, vel instar oceanii cui res omnes quasi fluctus, spumae, guttae innan- tant: quandoque etiam effertur ut moles quaedam argil- lacea cuius formae sunt cunctae res singulares. Hinc actiones hominum Dei sunt actiones, qui solus omnia in singulis operetur. Ab hac philosophia parum abludit *Bud- dhismus*, nisi quod beatitudinem hominis minime collocat in identitate cum *Brahm*, sed hunc etiam perpetuis mu- tationibus miserabili modo contorqueri dicit: quare tunc hominem beatum praedicat, cum aliquando ipsi in *Nir- vana*, i. e. in nihilum absolutum abire contingat.

II. **Pantheismus Graecorum.** — Eandem doctrinam professae sunt plures scholae Graecae philosophiae. In schola Ionica, quantum putare licet ex monumentis quae super- sunt, unicum agnoscebatur principium, materiale, tamen, quod se evoluit et ex quo omnia fiunt. Eleatenses, auctore Xenophane, propugnatoribus Parmenide, Melisso, et Ze- none, *unum omnino esse* aperte professi sunt; quidquid vero praeter unicum hoc esse phaenomenaliter in rebus apparet, vel ut illusiones et mendacia sensuum, vel ut va- rias limitationes et aspectus unius eiusdemque esse tra- duxerunt. Stoici denique mundum tamquam ingens quod- dam animal esse effutierunt, cuius anima sit ipse Deus, qui aeterna ac fatali evolutione materiam mundanam sibi inseparabiliter adiunctam in rerum singularum varietates distinguit, per quas ipse se manifestat.

III. **Gnosticismus, Neoplatonicismus.** — Haec est du- plex schola eterodoxorum apud quos prima Ecclesiae aetate pantheisticus error in honore habitus est. Illi, praeter Christi doctrinam exotericam, esotericam aliam iactabant quam cum solis Apostolis communicasset, quamque ex illis ipsi accepissent. Isti vero, Neoplatonici scilicet, do- ctrinam Christianam mancam et imperfectam arbitrati, eam placitis philosophiae orientalis et graecae locupletare adnisi sunt. His vero omnibus commune est, ut, obliterata creationis notione, originem rerum a Deo per emanatio- nem pantheisticam explicent, transeuntem quidem Gno- stici, Neoplatonici vero immanentem.

IV. **Pantheismus mediae aetatis.** — Medio aevo res pantheistae extiterunt. Primus est Ioannes Scotus Erigena qui saeculo IX in opere philosophico cui titulus, *De Naturae divisione*, nihilum illud, unde ex fidei doctrina res omnes creatae sunt, ipsam *naturam divinam* esse docuit. Haec scilicet, quatenus non est *determinate* aliquid eorum quae sunt, recte dicitur *nihilum*; quatenus vero omnia entia sunt totidem naturae divinae determinationes et quasi adpectus, sic etiam asseritur ea esse omne id quod vere est, eaque fieri in omnibus. Sic ille. Saeculo vero XIII alii duo pantheistae prodierunt, videlicet Almaricus Carnutensis, eiusque discipulus David Dinantensis: quorum prior, ut ait S. Thomas (*Summa th.* 1. p. q. 3. a. 8.), asseruit, Deum esse principium formale omnium rerum; alter vero, teste eodem S. Doctor (ibid.), *stultissime posuit Deum esse materiam primam*. Ad pantheismum etiam hac aetate accedebant qui in quaestione de universalibus realismum exaggeratum propugnabant.

V. **Pantheismus Spinozianus.** — Scissis a catholica unitate animis per reformationem protestanticam, pantheismum a Iordano Bruno resuscitatum Baruch seu Benedictus Spinoza, hebraeus origine, tum christianus, nullam denique professus religionem, saeculo XVII geometrica quadam ratione demonstrare stituit in opere cui titulus, *Ethica ordine geometrico demonstrata*. Praestituta sequenti substantiae definitione: *Pro substantia intelligo id, quod in se est et per se concipitur, seu cuius conceptus non indiget conceptu alterius rei ut formetur*: huius definitionis beneficio ulterius docet, substantiam non posse ex alia produci substantia, ideoque, praeter Deum, substantiam nullam cogitari posse. Hinc quasi consecrarium derivat, nonnisi unicum extare substantiam eamque infinitam, cuius duo generalia attributa, cogitatio nimirum et extensio; utrumque deinde hoc attributum per modos et modorum modos magis etiam evolvit, donec per infinitam modorum seriem ad modos omnino determinatos et finitos pervenit, qui entia sunt individua. Ex hac pestilentissima doctrina primum erat inferre, ut revera fert hic sophista, sequentia

consecraria, ad ordinem religiosum et practicum quod spectat: nimirum Deum esse simul causam et effectum, activum et passivum, ei minime competere personalitatem distinctam a reliquis, eiusque vitam sitam in continua illa explicatione secundum modos modorumque modos de qua dictum est: unicum esse intellectum, unicum voluntatem, nempe hominis; omnia esse bona et honesta, malumque non esse nisi phaenomenice tantum oppositum legibus quibusdam particularibus, non vero legibus universalibus; inclinationes proinde omnes seu passiones hominis utpote divinas esse sequendas.

VI. **Pantheismus idealis.** — Ad culmen absurditatis hoc delirium evexerunt aetate nostra somnia rationalismi transcendentalis. Ipsissimum tamen crambem recoquunt quam a philosophia Vedantica et Eleatensi habebamus, addita solum mirifica expositionis obscuritate qua nulla maior facile excogitabitur, et incredibili temeritate qua res undequaque abnormes quasi totidem axiomata asseruntur, quin rationem ullam vel levissimam in tanto verborum fastu expiscari valeas, qua dicta vel probentur vel alia ex aliis nexa intelligantur. Debetur maxima ex parte formalismo Kantiano [*Pr. Ph.* 341, seqq.]. Cum enim tota forma cognitionis nostrae sit a subiecto, a quo juxta Kantium procedit ipsa ratio entis, mundi, subiecti et causae, facillimum erat inferre, haec omnia esse unum idemque, neque aliam realitatem habere nisi in quodam quasi puncto absolutae indifferentiae. Atqui sic revera philosophati sunt I. G. Fichte, F. W. I. Schelling, G. W. F. Hegel, qui omnes subiectum cogitatum cum obiecto cogitato transcendenti confundunt, et a Fichte *Ego, Absolutum* a Schelling, *Idea* demum vel *Fieri* ab Hegel vocatur (1).

(1) Qui haec somnia latius exposita velit, adeat L. De San (*Cosmot.* P. 1, c. 1, § 2.), apud quem inveniet etiam uberissem expositionem errorum quos rectavimus. Confer etiam T. Pesch (*Institutiones Philos. Naturalis*, n. 259, seqq.), I. Kleutgen (*Philosophia antica*, tratt. 7, c. 7.).

THESIS XII.

Pantheismus, sub quacumque forma proponatur, commentum est Deo summe iniuriosum, omni rectae rationi penitus adversum, et in disciplina morum perniciosissimum.

463. *Probatio I partis.* — Ut patet ex tradita expositione pantheisticae sententiae, identitas quae in ea asseritur Deum inter et res ceteras, revocatur ad triplicem modum identitatis quem S. Thomas expendit et refutat (1. *Cont. Gent.* c. 17, 26, 27.). Vel enim fingitur Deus quasi materiale substratum rerum omnium, vel exhibetur ut anima seu forma materiam vivificans, vel denique confunditur cum esse communissimo seu transcendente. Atqui nihil horum sine ingenti blasphemia et maxima impietate dici potest. Etenim

I. Prior hypothesis facit Deum ens maxime in potentia, adeoque imperfectum et transmutabile omnino. Deus autem, ut patet ex praecedentibus, est actus purissimus, absolute perfectus, et omnino intransmutabilis.

II. Altera hypothesis repugnat etiam summae divinae actualitati ac perfectioni. * Ex unione formae et materiae, ait S. Thomas, resultat aliquid compositum, quod est totum respectu materiae et formae. Partes autem sunt in potentia respectu totius; in Deo autem nulla est potentialitas. Impossibile est igitur, Deum esse formam unitam alicui rei. Adhuc: quod per se habet esse, nobilissimum est eo quod habet esse in alio. Omnis autem forma alicuius corporis habet esse in alio. Cum igitur Deus sit ens nobilissimum, quasi prima essendi causa, non potest esse alicuius forma. (*Cont. Gent.* l. c.)

III. Tertia denique hypothesis manifeste repugnat divinae infinitati, ut ante demonstratum dedimus [435].

Immo recta impetit ipsam Dei existentiam, quod Angelicus sic luculenter ostendit. * Quod est commune multis, ait, non est aliquid praeter nulla, nisi sola ratione. Sicut animal non est aliud praeter Socratem et Platone[m] et alia animalia, nisi intellectu qui apprehendit formam animalis expoliata[m] ab omnibus individuantibus et specificantibus: homo enim est quod vere est animal; alias sequeretur quod in Socrate et Platone essent plura animalia, animal scilicet ipsum commune, et homo communis, et Plato. Multo ergo minus et ipsum esse commune est aliquid praeter res omnes existentes, nisi in intellectu solum. Si igitur Deus sit commune esse, Deus non erit aliqua res existens, nisi quae sit in intellectu tantum. Ostensum est autem supra, Deum esse aliquid non solum in intellectu sed in rerum natura. Non est igitur Deus ipsum esse commune omnium. (*Cont. Gent.* l. c.)

464. *Probatio II partis.* — In hac parte consideramus hunc errorem in summa et immediata oppositione quam habet ad rectam rationem. Iam age, alterum de duobus necessario fateri oportet in hac doctrina. Vel enim omnis rerum distinctio ac varietas quam cernimus in hoc mundo adspectabili, non est nisi quaedam apparentia et fallax illusio, nec propterea datur nisi unum ens immobile, ut Parmenides et Melissus aiebant: vel haec rerum distinctio ac varietas retinetur quidem, sed una cum identitate omnium in una eademque absoluta realitate. Atqui utrumque rationi penitus adversatur. Ergo.

Probatur minor quoad I. partem. Nam omni rectae rationi adversatur hypothesis quae ordinem quemlibet nostrarum cognitionum pervertit. Atqui id habetur, si omnis rerum distinctio ac varietas denegetur, ut abunde suo loco demonstravimus [*Pr. Ph.* 351]. Illud etiam huc accedit quod haec fallacia seu illusio foret in intellectu, qui unus supponitur et divinus seu infinitus. Mens itaque infinitae perfectionis suapte natura ferretur et quidem ab evidentia maxima coacta in infinita indicia omnino falsa et erronea, quot nimirum sunt ea quibus ut distincta et diversa habemus quae nobis obversantur!

Probatnr minor quoad 2. partem. Nihil certe in ratione consistere potest corruente primo cognitionis principio, contradictionis scilicet [Pr. Ph. 441, seqq.]. Atqui manifeste corruii hoc principium, si concedatur rerum distinctio et varietas quam in hoc mundo cernimus, retenta tamen unitate realitatis, seu substantiae quam pantheistae fingunt. Sic enim dicendum foret, unam eandemque substantiam esse simul corpus et spiritum, finitam et infinitam, simul etiam volentem et nolentem, immutabilem et mutabilem, aliaque eiusdem generis praedicata suscipientem se invicem omnino excludentia. Patet autem nihil magis adversari posse primo contradictionis principio, quam quod in affirmatione eiusmodi continetur.

Dicitur forlasse, hoc argumentum sua vi destitui, si transiens dumtaxat pantheistica emanatio admittatur. Sed hoc negandum plane est. Deus enim simplicissima res est, neque habet quidquam quod Deus non sit. Si itaque res aliqua dicatur esse de substantia divina, non vero ex nihilo per vero nominis creationem, haec res Deus sit oportet. Quocirca quaecumque ponatur emanatio rerum de divina substantia, citra creationem, semper illud necessario consequens est, ut nulla res existat nisi Deus, adeoque cum non sit nisi unus Deus, omnis rerum diversitas quam in hoc mundo cernimus, vel est mera illusio, vel receptaculum impossibilitum generis cuiuscumque.

465. *Probatio III. partis.* — Patet denique ex dictis, quanta sit ruina in doctrina morum, quae ex pantheismi systemate sua sponte derivatur. Nam primo quidem de medio aufertur Deus, ac putissimus inducitur atheismus. Deus enim pantheisticus certe non est Deus sed contradictionum cumulus. Redditur deinde impossibilis quaecumque lex moralis: nam ipse homo in doctrina pantheistica fit Deus, ideoque ens plane independens. Quin discrimen quodlibet boni et mali moralis radicatus extirpatur. Si enim Deus solus omnia operatur, ergo nulla est operatio mala, nulla inclinatio quantumcumque turpis non sequenda. Orne denique sociale consortium est impossibile. Hoc enim ut existat, necessaria est multitudo, subiectio, et auctoritas:

patet autem haec tria esse verba sine mente in hypothesi pantheistica. Ceterum inutile est haec omnia longius persequi, quandoquidem homunciones istiusmodi ideo hoc systema amplectuntur et pro viribus tueri satagunt, ut sine Deo, sine lege, sine coercionem ulla in omne flagitiorum genus se ingurgitent, et excusationem aliquam propriae malitiae apud imbecilles accipiant.

Solvantur difficultates.

466. *Obiectio I.* — Mens nostra naturaliter tendit ad unitatem. Ergo videtur dicendum, unam dumtaxat entitatem latere sub diversis phaenomenis quae in natura conspiciuntur.

Respondeo. *Dist. antec.* Mens naturaliter tendit ad unitatem ordinis, *conc.*; ad unitatem unius eiusdemque rei per se indivisae, *subdist.*; in rerum omnium principio efficiente, finali, et exemplari, *conc.*; secundum placita philosophiae pantheisticae, *neg.* Sub data dist. *neg. conseq.*

Verissimum est, omnem rerum diversitatem immo et contrarietatem, reduci tandem debere in aliquam unitatem, et hoc ex profunda illa ratione quam ante [417, not.] attulimus ex S. Thoma. * Oportet, ait, si aliquid unum communiter in pluribus invenitur, quod ab aliqua una causa in illis causetur,.... Cum ergo esse invenitur omnibus rebus commune, quae secundum illud quod sunt ad invicem distincta sunt, oportet quod de necessitate eis non ex seipsis, sed ab aliqua una causa esse attribuat. Et ista videtur ratio Platonis, qui voluit quod ante omnem multitudinem esset aliqua unitas non solum in numeris, sed etiam in rerum naturis. . (Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 5.) Patet autem, hanc unitatem esse simpliciter quidem seu per se in ipsa causa, per accidens vero et secundum quid, ordinis scilicet, in iis quae a causa procedunt. Nec refert quod creaturae dicantur divinae bonitate *participare*. Ut enim idem S. Doctor observavit: * Creaturae non di-

cuntur divinam bonitatem participare, quasi partem essentialis suae, sed quia *similitudine divinae bonitatis* in esse constituuntur, secundum quam non perfecte divinam bonitatem imitantur, sed ex parte. (2. *Dist.* 17. q. 1. a. 6. ad 1.) Et alibi. "Essentia divina non secundum se augmentabilis et multiplicabilis est, sed solum multiplicabilis est *secundum similitudinem quae a multis participatur.*" (1. *Cont. Gent.* c. 75.) Confer quae alibi diximus [*Pr. Ph.* 682].

Obiectio II. — Omnes res sunt cogitabiles a nostro intellectu. Atqui cognitio unitatem postulat cogniti cum cognoscente. Ergo intellectus noster unum idemque est eum rebus omnibus.

Respondeo. *Dist. mai.* Conceptu proprio vel improprio, *conc.*; conceptu proprio dumtaxat, *subdist.*; si sermo sit de obiecto proportionato, *conc.*; si sermo sit de obiecto quolibet, *neg.* *Dist. pariter min.* Cognitio postulat unitatem identitatis cogniti cum cognoscente, *neg.*; unitatem assimilationis, *subdist.*; intentionalis, *conc.*; in natura, *rursus dist.*; univocae vel analogicae, et etiam univocae si sermo sit de obiecto proprio, *conc.*; semper univocae, *neg.* Tota haec distinctio patet ex his quae late disputavimus in II. Parte agentes de humano intellectu, nec opus est ea retractare.

Instabis. Ut cognitioni veritas constet, necesse est ratio cogitata talis sit in rebus qualis representatur. Atqui ratio entis in cogitatione representatur ut una et indivisa. Ergo sic etiam in rebus sit oportet, adeoque omnes sunt unum idemque ens.

Respondeo. *Dist. mai.* Quantum ad modum quo concipitur, *neg.*; quantum ad id quod concipitur, *subdist.*; in cognitione directa, *conc.*; in cognitione reflexa, *neg.* *Contradist. min.* Et haec unitas seu indivisio se tenet ex parte modi quo concipitur, *conc.*; se tenet ex parte ipsius obiectivae rationis quae concipitur, *subdist.*; in ordine reflexo, *conc.*; in ordine directo, *neg.*

Etiam haec distinctio manifesta fit ex his quae in III. Disputatione Logicae late disseruimus agentes de univer-

salibus. Scilicet, ut ceteri conceptus communes, sic etiam communissima notio entis spectari potest, prout est directe a mente apprehensa, et iterum prout est reflexe a mente recogitata. Si primo modo consideretur, est quidem in rebus id quod ea notione concipitur; omnia siquidem in ea ratione assimilantur, tametsi analogice. Modus tamen quo concipitur non est nisi ex parte mentis. Ea enim praecise concipitur id secundum quod omnia sunt et vocantur entia, neglectis seu non apprehensis peculiaribus rationibus quibus singula in proprio gradu suae entitatis constituuntur. Quod si sermo sit de ordine reflexo cognitionis nostrae, patet, non opus esse, ut extra mentem inveniat id ipsum quod tali cognitione apprehenditur. Et ratio plana est. Per reflexam quippe cogitationem apprehenditur res secundum modum essendi quem in mente ea sortita est ope praecedentis cogitationis directae, qui modus, ut dictum est, se tenet ex parte mentis apprehendentis, non vero ipsiusmet rei apprehensae. Mirum est, quo pacto qui gloriantur profundissimum examen transcendentale instituisse de valore cogitationum nostrarum, turpiter haereant in notionibus quas in ipso limine logicae agnoscere oporteret!

Instabis iterum. Videtur impossibile, detur determinatio quaecumque qua reipsa multiplicetur ratio entis. Nam haec vel esset positiva, vel negativa. Atqui non potest esse positiva, quippe extra ens nihil positivum invenire licet: nec etiam potest esse negatio, nihilum quippe nullius est differentia.

Respondeo. *Dist. assumptum.* Si haec determinatio concipienda foret per modum quo differentia additur generi, *conc.*; si ea concipi debet per modum expressionis conceptus dumtaxat unius rationis analogice apprehensae, *neg.* Hinc concedo quidem, hanc determinationem esse positivam, sed nullum propterea habetur inconveniens, ut in Philosophia Prima [th. I] late declaravimus.

Obiectio III. — Substantia, utpote quid absolutum, per se concipi debet. Atqui nullus effectus per se concipitur, quandoquidem ordinem habet ad causam. Ergo non datur nisi substantia infecta, Deus scilicet.

Respondeo. *Dist. mai.* Quatenus excludit relationem ad aliud ut ad subiectum inhaesionis, *conc.*; quatenus excludit quaeumque aliam relationem, puta ad causam etiam efficientem, *neg. Contradist. min. neg. conseq.* Vide alia dicta [*Pr. Ph.* 514.... 517].

Instabis. Quae nihil inter se commune habent, unum nequit esse causa alterius. Atqui substantiae diversae nihil inter se commune habent. Ergo impossibile est, ut una substantia producat ab alia.

Respondeo. *Dist. mai.* Quae nihil inter se commune habent *numero*, unum nequit esse causa alterius, *neg.*; quae nihil inter se commune habent communitate etiam similitudinis, *conc. Contradist. min.* Substantiae diversae nihil inter se commune habent *numero*, *trans.*; nihil inter se commune habent quatenus una alteri nullatenus assimilatur, *neg.* Sub data dist. *neg. conseq.*

Ut ante dictum est, effectus similitudinem quidem referre debet perfectionis quae est in sua causa efficiente, non vero debet cum ea identificari vel ex ea discerpi quasi tela aranei. Exemplo sit scientia quae in mente discipuli gignitur a scientia magistri. Talis porro sit oportet convenientia quae intercedit inter substantiam productam et substantiam producentem. Transmissimus vero primum membrum minoris, quia nihil etiam prohibet, detur aliquid *numero* idem commune duabus substantiis licet diversis. Sic divina et humana natura in composito theandrico conveniunt in unam eandem numero hypostasim; tametsi natura humana sit vere creata a natura divina.

Obiectio IV. — Quemadmodum si nummo aereo addatur argenteus, summa utriusque maioris pretii est quam nummus aureus seorsum sumptus; sic etiam si aliqua alia perfectio existeret extra Deum, ea simul accepta cum Deo esset quid perfectius solo Deo. Atqui nihil perfectius cogitare licet ente infinito, quod est Deus. Ergo praeter Deum nihil inveniri potest.

Respondeo. *Neg. mai. et paritatem.* Ut suo loco declaravimus [114], ut unum in altero eminenter contineri dicatur, minime sufficit hoc sit eo nobilius. Licet proinde

nummus aureus, puta 20 libellarum, nobilioris pretii sit quam nummus argenteus, puta 5 libellarum, non propterea dici potest hic in priori eminenter contineri. Nihil proinde mirum, si simul sumpti valorem maiorem exhibeant quam si seorsum unus ab alio accipiatur. Contra ens infinitum, sive Deus, ut prima ceterorum causa efficiens, eorundem perfectionem omnem eminentissime continet. Quare si simul sumantur non plus perfectionis dabunt quam sola perfectio divina; et esset quid simile, si nummus aureus idem in se manens vin haberet producendi nummos argenteos a se distinctos. Ad rem S. Thomas. * Bonum creatum, ait, additum bono increato non facit aliquid maius. Quia si duo participantia coniungantur, augeri potest in eis quod participatur, sed si participans addatur ei quod per essentiam est tale, non facit aliquid maius; sicut duo calida adiuncta ad invicem possunt facere magis calidum, sed si esset aliquid quod esset calor per essentiam subsistens, ex nullius calidi additione intenderetur. Cum ergo Deus sit ipsa essentia bonitatis.... omnia autem alia bona per participationem, ex nullius boni additione fit Deus magis bonus, quia cuiuslibet rei alterius bonitas continetur in ipso. » (*Qq. Disp. De Malo*, q. 5. a. 1. ad 4.)

Instabis. Videtur repugnantis in eo quod infinitum sit causa efficiens rei finitae. Tunc enim ratio limitationis quae est in re finita, reducenda foret, tamquam in principium, in ens infinitum. Atqui id fieri nequit nisi limitatio existat in ipso ente infinito, quod repugnat.

Respondeo. *Neg. assumptum.* Ad probationem *nego maiorem.* Ens enim finitum assimilatur enti infinito pro eo quantum est ens, non vero secundum quod deficit a ratione entis. Quapropter in ente infinito quaerenda est ratio secundum quam res finita est ens, non vero secundum quam est non ens; id enim habet ex se, siquidem nihil ex se habet. Quum vero dicimus rationem secundum quam res finita est ens, quaerendum esse in ente infinito, sermo est, ut diximus, de ratione causali, causae scilicet efficientis, finalis, et exemplaris, non vero materialis vel seminalis, ut pantheistae delirant. Egregie in hanc rem

S. Bernardus. * Sane esse omnium dixerim Deum, non quia illa sunt quod est ille, sed quia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia. Esse est ergo omnium quae facta sunt ipse factor eorum, sed *causalis*, non *materiale*. (Serm. 4. in *Cantic.*) Et alibi. * Ipse (Deus) sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammodo solus est, qui summus ipsius est et omnium esse... ex quo omnia *creabiliter*, non *seminaliter*. (5. *De Consid.* c. 6.)

Obiectio V. — Philosophi veteres vix non omnes axiomatis loco pronuntiatum illud habebant, *Ex nihilo nihil fit*. Ergo omne fieri vel est inanis quaedam illusio, vel transmutatio divinae substantiae.

Respondeo. *Conc. antec., neg. consequ.* Haec veterum philosophorum ignoratio vel oscitantia, in re tam gravi et naturali lumine manifesta, luculenter ostendit utilitatem summam atque adeo moralem necessitatem supernae revelationis, ut ea etiam quae naturali ratione de Deo investigari possunt, cuiusmodi profecto est factum creationis, convenientius et certius cognoscantur [*Pr. Ph.* 426]. Ceterum ea non debet esse ratio quamobrem vel creatio negetur vel sola divina revelatione cognosci posse dicatur. Apposite Angelicus. * Communis enim philosophorum positio ponentium ex nihilo nihil fieri... veritatem habet secundum illud fieri quod ipsi considerabant. Quia enim omnis nostra cognitio a sensu incipit, qui singularium est, a particularibus considerationibus ad universales consideratio humana profecit: unde principium rerum perquirentes, particulares factiones entium tantum consideraverunt, inquirentes qualiter vel hic ignis vel hic lapis fiat... Profundius autem ad rerum originem ingredientibus, consideraverunt ad ultimum totius entis creati ab una causa processionem... In hac autem processione totius entis a Deo, non est possibile fieri aliquid ex aliquo alio praecedente: non enim esset totius entis creati factio. (2. *Cont. Gent.* c. 37.) Atque haec modo sufficiant de hac re: plenius quippe explicabuntur in postrema Disputatione.

DISPUTATIO III.

DE VITA DIVINA

SECTIO I.

De perfectione divinae sapientiae generatim.

467. **Totius Disputationis argumentum.** — In Disputatione praecedenti ea attributa divinae naturae expendimus quae ad proprium eius *essendi* modum referuntur, quaeque a pluribus *quiescentia* vocantur. Reliquum est, prout initio polliciti sumus, ut ea consideremus quae pertinent ad operationem ipsius quaeque idcirco *operativa* dicuntur. In praesenti Disputatione divinam sapientiam ac voluntatem dumtaxat contemplantur: huc enim pertinet primus modus operationis quae naturae cuiuspiam convenit, quae nimirum manet in ipso operante. Patei vero, perinde esse de sapientia divina ac voluntate agere, quam ipsam vitam divinam contemplari: secundum hoc enim Deus vivit, quod intelligit et vult.

468. **Existentia divinae scientiae.** — Iam age, Deum intellectu et eximia scientia gaudere, iure merito hic supponere licet. Id enim argumentum cosmologicum quo Dei existentiam comprobavimus, directe ostendit. Scientia praeterea principem locum procul dubio tenet inter perfectiones simpliciter tales, eaque propterea Deo formaliter tribuenda est. Accedit denique, quod haec perfectio proxime